



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,  
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis  
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,  
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatus De Conscientia, De Peccatis, De Legibus, De Fide, Spe,  
Et Charitate

**Castro Palao, Fernando de**

**Lugduni, 1669**

3 Quid sit ius gentium, & qua ratione à iure naturali, & civili distinguatur?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76540](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76540)

nam non suff. cap. 4. dicentem: Lex sua scripta est in cordibus  
hominum. Ergo lex naturalis referri debet ad legem Dei, vt  
in m. n. m. Et ita dicitur Gerson. tractat. de vita spirituali  
sit proprie lex, & ita dicitur Gerson. tractat. de vita spirituali  
lib. 2. per totam, & precipue coroll. 5. Victoria relect. de praeu-  
niente ad sum rationis, num. 8. Suarez lib. 2. de legibus, cap. 6.  
num. 5.

4. Rursus lex positua, vt distinguitur a lege naturali, & diui-  
na, est, quae a superiore accidentaliter ponitur: & haec est duplex,  
aliqua est diuina, alia humana. Diuina positua est, quae Deus ho-  
mines regit & gubernat, quatenus corpus quoddam politicum  
constituit. Sic praecipua veteris legis de ritu sacrificiorum, &  
ordine iudiciali leges posituae diuinae dicebantur: & in praesenti  
praecipua de adm. iurisdictione sacramentorum, & illorum exceptio-  
ne a Christo Domino lata, leges diuinae dicuntur. Lex humana  
dicitur, quia ab hominibus proxime & immediate prouenit. Deus  
enim ius prouidentia voluit homines per homines gubernari, &  
alios aliorum superiores esse: qui ergo superiores sunt, & supre-  
mam habent potestatem, leges condere possunt, quibus inferio-  
res gubernentur. Sed quia hi superiores alij sunt Ecclesiastici,  
alij laicales, alij recipiunt a Christo Domino potestatem con-  
cedi legem: alij vero ab ipsa republica. Ideo lex humana in  
Ecclesiasticam, & civilem diuiditur. Ecclesiastica est, quae a Chri-  
sto Domino tanquam ab eius auctore primo prouenit, & sub-  
ditos in supernaturali finem dirigere intendit. Civilis praeci-  
pue attendit gubernationi politicae, & subditos in pace confer-  
uat.

5. Haec sunt diuisiones legis praecipuae: nam aliae, quae dan-  
tur ex varietate obiectorum, satis nota dicitur enim  
lex alia affirmatiua; alia negatiua. Affirmatiua est, quae imperat  
aliquid posituum, & reale, esto velis negatiuis imperet, vt est  
lex de audiendo sacro diebus festis, de communione recipien-  
da in Paschate. Negatiua lex est, quae negationem imperat, &  
aliquid posituum prohibet, qualis est lex de non furando, de  
non occidendo, de non fornicando, &c. Intuere aliae sunt le-  
ges moe praecipuae, aliae puta poenales, aliae irritantes con-  
tractum, aliae prohibentes fieri, de quibus omnibus in sequen-  
tibus locis agendum est. Vide Azorium com. lib. 5. cap. 1. quaest. 5.  
Suarez lib. 1. cap. 3. fin. & latius lib. 5. c. 1. & 2. Bonacina disp. 1.  
q. 1. punct. 2. fin. Salas de Legib. disp. 2. sect. 1. Valq. com. 2. disp. 15. r.  
cap. 5.

6. Sed inter has diuisiones illa est praecipua, quae diuidit  
lex in legem odiosam, & fauorabilem. Odiosa dicitur, non quia  
odio digna sit, est enim iusta, & sancta; sed quia imponit gra-  
uamen aliquod, vel poenam, quam merito reus debet humane  
natura. Fauorabilis dicitur lex, quae fauorem continet. At  
difficilis non leuis est, in cognoscendo, quae lex dicatur graua-  
men continere, quae fauorem? Saepè enim lex, quae graua-  
men alicui imponit, alteri beneficium conferit, vt contingit in lege  
imponente tributum, quae soluentibus grauis est, & odiosa; ei  
autem cui soluitur, fauorabilis. Item privilegium alicui conces-  
sum, quo eximitur ab obligatione legis communis, fauorem  
continet respectu privilegii: at respectu communitatis graua-  
men habet: tenet enim communitas, quod aliquis ex illa exima-  
tur, eiusque non conformetur. Deinde lex poenam delinquentibus  
imponens odio a censetur respectu illorum, quibus imponitur:  
at respectu aliorum, in quorum defensionem lata fuit, fauorabi-  
lis est. Quae ratione multi dicunt, legem latam in c. si quis suade-  
re ad abol. quae percussores clericorum excommunicauerit, esse  
fauorabilem quia licet respectu delinquentium odium contineret:  
at respectu ius clericale, in cuius defensionem lata fuit, fauo-  
rem continet.

Propter haec Tiraquel. in praesent. ad retrah. lignag. n. 65. exi-  
stimat legem odiosam dici illam absolutè, quae graua-  
men imponit, etiam si alius fauorabilis sit: quia absolutè fauorabilis  
dici non potest, & bonum ex integra causa. At dici potest absolu-  
tè odiosa, quia ad hanc denominationem sufficit, ex parte odium  
continere. Deinde, quia ne odia extendantur, ratione odij semper  
est restringenda lex.

Verum haec doctina absolutè probanda non est, alius nulla  
esset lex, quae odiosa non esset censenda, cum quilibet lex eo  
ipso, quod praecipua sit, onus, & graua-  
men imponat eis, quibus praecipit. Quocirca dicendum existimo, vt lex aliqua di-  
catur fauorabilis, vel odiosa, spectanda est materia praecipua,  
quae si conueniens sit his, quibus praecipit, fauorabilis est cen-  
senda: si autem onerosa sit, censenda est odiosa. Exempla legis  
fauorabilis sunt, lex apponens contractibus solemniterem ali-  
quam, vt fraudes euentur, item signans taxam mercibus, ne  
vitra debitum valorem vendantur. Exempla vero legis odiosae,  
sunt leges quae imponunt vectigalia, vel poenas transgredientibus  
aliquas leges: quia his, quibus vectigal solvendum manda-  
tur, vel poena subeunda est, onus est, & prauidicium, esto cedat  
in altius, utilitatem vel in utilitatem boni communis: nam hoc  
est per accidens, alias omnes leges fauorabiles essent, cum omnes  
tam poenales, quam praecipuae ad bonum commune diriguntur.  
Non igitur spectandus est finis legis, sed totum attendenda est  
materia legis primò, & per se intenta. Colligitur satis aperte  
ex gloss. cap. si propter. de rescript. in 6. verbo primi anni, vbi  
appellat fauorabilem illam constitutionem, quae reseruat fructus

vacatur: Episcopo mortuo, quia cedit in fauorem Episcopi  
defuncti, vt solent debita, quod erat praecipue intentum etiam si  
inde damnus conueniat iis, quibus alius debebat illi fructus  
prouenire. sic Couart. 2. var. c. 11. n. 5. Thomas Sanchez plures  
referens lib. 1. de matr. disp. 1. n. 4. Ioan. Sauch. disp. 2. de legib.  
sect. 4. n. 10.

Quando autem dubium est, an lex aliqua dicenda sit odiosa  
vel fauorabilis, quia non apparet, quid praeponderet, iudicanda  
est fauorabilis, quia de Principe potius beneficium, quam odium  
praesumendum est: & ita tradit Suarez lib. 5. de legib. c. 2. n. 13.  
cum gloss. & Bald. in l. 2. C. de his. qui non possunt ad libertatem  
peruenire, verbo in rogauerit Bald. in l. penult. C. de pactis. circa  
finem Alexand. lib. 7. consil. 197. vide de hoc Emanuel Rodriq.  
rem. regul. q. 11. art. 6. vbi optime explicat quae sit lex fauora-  
bilis, & odiosa.

PUNCTUM III.

Quid sit ius gentium, & qua ratione à iure natu-  
rali, & ciuili distinguitur.

- 1. Distinguitur ius gentium à iure naturali, & ciuili.
- 2. Expl.atur differentia.

1. Distinguitur ius gentium à iure naturali, & ciuili, suppo-  
nunt Doctores ex l. 1. § huius studij ff. de iust. & iure,  
vbi traditur ius coalescere ex praecipuis naturalibus, gentium,  
& ciuilibus. Item habetur Insti. de iur. natur. gent. & ciuili. §. 1.  
c. 2.

Difficultas autem est, qua ratione distinguitur? Nam qua-  
libet lex, vel est lex necessario adstringens homines ad sui ob-  
seruationem, vel solum accidentaliter. Si necessariò est lex  
adstringens homines ad sui obseruationem, pertinet ad ius  
naturale, si accidentaliter, ad ius ciuile. Ergo non est medium  
inter ius naturale, & ciuile. Dicendum igitur est, ius gentium  
medium esse inter ius naturale, & ciuile, & cum vtroque conuen-  
ientiam habere. ita omnes Doctores insià referenti, & mani-  
feste constat ex c. 6. dist. 1. vbi diuiditur ius in naturale, gentium,  
& ciuile.

2. Pro declaratione suppono legem naturalem, seu ius natu-  
rale illud esse, quod est ius in se, & natura. supposita hu-  
mana societate, & communicatione politica: nam hac societate,  
& communicatione politica posita, in ius est seruo, obedi-  
re domino, promittenti reddere promissum, & contrahenti non  
defraudare in contractu, quae omnia sunt de iure naturali. Quo-  
circa quociescumque aliqua ita sunt prohibita, vt nulla ratione  
possint non prohiberi, eo quod de se mala sint, à iure naturali  
prohibentur. Ius autem ciuile est quod Princeps statuit ad re-  
gimen suorum subditorum, sed ita statuit, vt possit illud non  
statuere, quia liber fuit in iure illo ferendo, illaque solum obli-  
gare potest sibi subditos. Ius autem gentium, quod est medium  
inter ius naturale, & ciuile, affirmo esse ius, quod neque à natura  
est ius in se necessariò, neque à determinato aliquo Principe aut  
regno ortum habet: sed ferè ab omnibus gentibus inductum  
est non scriptura, sed vsu, & consuetudine gentium. Quod pro-  
bo inductione illorum quae dicuntur de iure gentium. Principio  
discretio gentium & regnorum diuisio iure gentium inducta  
est. Iuxta hoc ius ff. de iustitia, & iure. nam iure naturali stante  
bene poterant omnia esse communia. Item bella, contractus, ser-  
uitutes, legatorum admissio, paces, foedera, & alia, quae referi Iud.  
5. etimolog. cap. 4. c. 6. & traduntur in eius gentium, dist. 1. iure  
gentium sunt inducta, quia ius naturale non necessitabat ad  
illa commercia, bella, seruitutes, &c. alia enim via gubernari  
homines possent, & de iniuriis sibi factis satisfactionem recipere,  
vt bene expendit Suarez lib. 2. de legibus, cap. 19. à n. 7. & ex  
alia parte non sunt ab aliquo Principe in aliquo speciali regno  
stabilita, sed communi vsu gentium determinata. Ergo ius gen-  
tium est medium inter ius naturale, & ius ciuile, naturali, & ciuili  
maximè conforme, & ita tradidit Iustinian. in §. ius autem Insti.  
de iure naturali, gentium, & ciuili vbi dicit, ius gentium omni  
humano generi commune est: nam vsu exigente, & humanis ne-  
cessitatibus, gens humana iura quadam sibi constituerunt. Ergo  
non à natura erant talia iura constituta, sed homines sibi, vsu &  
consuetudine ob necessitates occurrentes constituerunt. Idem  
habetur cap. omnia lex. Quapropter ius gentium est naturale rati-  
oni conforme sit, in illaque fundetur, proxime tamen & imme-  
diatè positum est, & humanum; quia ab hominibus oritur, ip-  
sique vsu, & consuetudine sibi constituerunt. sic Suarez su-  
pra lib. 2. c. 18. §. 20. Molina de iust. traet. 1. disp. 3. c. 5. &  
traet. 5. de iurisd. disp. 69. ad finem Valent. 2. disp. 7. q. 5. punct.  
2. Salas de legib. disp. 2. sect. 3. n. 23. Bannes 2. 2. q. 57. art. 3. Bonac.  
disp. 1. de legib. q. 1. punct. 2. n. 15.

DE  
LA  
STRU  
PALA  
TOM  
LIV  
ELI

